

Salamanque, Novembre 1601.

/ Nonnullorum rumor falso quidem sparsus, Cardinalis amplissime, hisce diebus in hac praesertim Salmanticensi alma literarum schola, plurimum procul dubio animos contra nostrum Patrem Doctorem Ludovicum de Molina, et contra librum ejus de concordia gratiae cum nostro libero arbitrio, non sine offensione multorum concitavit. Etenim doctrinam a viro doctissimo pariter et piissimo editam, a gravissimis Patribus Inquisitoribus supremi in Lusitania senatus unanimi consensu approbatam, jam publica sententia damnatam fuisse Romae, et gravissima nota inustam, falsus iste et vulgaris ignorantium rumor dispersit. Quem cum sua ipsius falsitate opprimi disperdique velimus, illud huic nostro Salmanticensi Collegio, tibi deditissimo, visum est, ut praesentes assertiones ex praedicto libro congererem, et publice in hac nostrorum schola disputarem. Cum vero ^{et} imparem me tanto oneri, et infirmum plane ad tantarum rerum defensionem conspiciam, firmus mihi patronus quaerendus fuit. Inveni statim. Tu enim unus, Illustrissime Cardinalis, statim occurristi qui et veritatis es quam amicissimus, et justitiae patronus, Cuique haec, quam defendendam suscepi, notissimum est, quam indigna sit censura ab istis dispersa. Deinde cum tibi, quantum filii optimo parenti, tantum nos debere fatemur, filii obsequentissimi fiducia erga amantissimum nostrae Societatis Patronum, has tibi conclusiones consecrare sum ausus, ut tanto patrocinio munitae expugnari non valeant, Accipe igitur illas, qua soles, benignitate ut et me et veritatem, quam nosti, tua tanta defensione tuearis. Vale nostrae societatis decus et ornamentum, et magno Ecclesiae bono in longissimos annos tua feliciter vita conservetur.

Quaestio theologica.

Utrum contingere possit, ut cum aequalibus auxiliis gratiae antecedentibus unus de facto convertatur, aliis vero non?

193 (suite 1)

Prima conclusio.

193 (suite)

Quamvis post primum nostri parentis peccatum homo supernaturalibus donis spoliatus remanserit, posset nihilominus in natura lapsa sine aliquo auxilio speciali Dei excedente limites naturae, quod et nunc etiam quilibet in mortali potest, peccata omnia contra legem naturalem divisive vitare, cuilibet vehementi tentationi incitanti ad hujusmodi peccatum pro quolibet momento resistere: imo et Deum ipsum posset viribus naturae super omnia diligere, et actum contritionis naturalis cum proposito amplius non peccandi lethaliter producere. Eisdem etiam naturae viribus potest quilibet cum solo concursu generali Dei mysteriis supernaturalibus sibi propositis actu mere naturali assentiri, specie distincto ab actu fidei divinae.

Secunda Conclusio.

Licet autem hujusmodi assensus ad justificationem non sufficiat, sic tamen assentienti Deus ex certa lege cum Christo Domino facta gratiam, auxiliave conferet, quibus, ut oportet ad salutem et gratiam justificantem, credat. Gratia autem formaliter justificans est qualitas quaedam permanens, inhaerens animae immediate, quaeque illam reddit divinae naturae participem: cum qua etiam charitas nobis simul infunditur ab illa reliquisque supernaturalibus virtutibus infusis realiter distincta, quae voluntati immediate inest, ejusque supernaturalis actus partialiter partialitate unius integrae causae cum ipsa voluntate producit.

Tertia Conclusio.

Sed praeter habitualem explicatam gratiam, altera etiam auxilii gratia est, cuius communiter à Theologicis prima assignatur divisio in gratiam praevenientem seu exortantem, et in auxilium, seu gratiam quae adjuvans appellatur, una tamen eademque gratia est, non duplex, nec omnino diversa, extensive quidem major non in se, sed properter effectum quem producit. Haec praeveniens gratia illustrationes intellectus, et pios voluntatis affectus, quibus interius quis ad fidem seu poenitentiam excitatur, comprehendit: illisque saepe liberum arbitrio

1 trium nostrum, etiam quando torpens ac pigrum est à Deo Optimo Maximo excitatur. Quae tamen gratiae praevenientis excitatio ita communiter est a Deo, ut ex libero arbitrio hominis excitati, et ministrorum Ecclesiae multum pendere fateamur.

5

Quarta Conclusio.

Dividitur tamen praecipue haec auxilii gratia in auxilium efficax, et sufficiens. Sufficiens quidem illud est, quo posito ex parte principii nihil aliud, ut operetur liberum arbitrium requirit per modum actus primi, et supra, hoc id quod efficax dicitur nihil superad-

10 dit praeter denominationem quandam ab effectu, ut infallibiliter libere producendo. Quod enim auxilium efficax vel tantum sufficiens dicatur, denominatio est ab operatione sumpta, quae simul a nostra voluntate, et a gratia procedit. Ex quo cum equalibus auxiliis omnino antecedentibus unus potest pro voluntate sua et gratia converti, cum alter *15* pro suo solo libero arbitrio non convertatur, infallibilitas vero effectus, ex qua auxilium denominatur efficax, nullam causae liberae necessitatem imponit.

Quinta conclusio.

Adeo ad meritum seu demeritum nostrorum operum libertas in *20* nobis requiritur, ut per actus, quos necessitati et praedeterminati producimus, proemium seu poenam mereri non possimus, quare ad meritum et libertatem ita debet indifferens esse voluntas, ut nullam divinam praediffinitionem omnino absolutam nostrorum actuum, cum libertate illorum compati posse asseramus, nedum praemotionem, seu physicam aut *25* moralem aliquam infallibilem praedeterminationem. Unde etiam concursus Dei generalis, quo cum causis secundis semper concurrit, non est influxus aliquis praevitus in causam secundam, sed ipse Deus qualis partialis causa cum voluntate nostros actus immediate producit.

Sexta conclusio.

30 Donum perseverantiae in hoc consistit, quod ea Deus auxilia conferat adulto, cum quibus illum pro sua libertate cum gratia perse-

✓ veraturum, scientia sua media, qua omnia futura etiam conditionata, certo et infallibiliter cognoscit, praevideat. Unde ipsa adulti futura cooperatio usque ad finem cum predictis auxiliis, tanquam conditio complet predictam voluntatem divinam in ratione volentis donum perseverantiae conferre. Nulli tamen adulto Deus auxilium necessarium ad perseverandum negavit, neque alicujus ita cor induravit, ut si vellet ipsem et peccator duritiam suam deponere, non posset. Praedestinatio autem, licet non fuerit facta propter praescientiam boni usus futuri liberi arbitrii, non est tamen facta sine tali praescientia per scientiam medium, quamvis talis praescientia nec sit ratio, nec conditio, propter quam media praedestinationis conferantur praedestinato, sed est conditio, sine qua divina providentia non haberet rationem praedestinationis.

Ad quaestionem respondetur in quarta conclusione. Defendetur

✓ tur in collegio Divi Lucae Societatis Jesu Salmanticensi die Mensis Novembris, anni 1601 per totam, mane hora octava, vespere autem secunda.

[Rome. Biblioth. Vittor. Emmān. MSS. Gesuit. 676 (2805) Feuille impr.]

grand-format. En tête les armes du cardinal; avant le texte des
 ✓ thèses la dédicace précédée de cette adresse: Illustrissimo ac Rev^{mo}
 DD. Roberto Bellarmino, S.R.E. Cardinali dignissimo, nostrae Societatis Jesu parenti colendissimo, Franciscus Emmanuel de Dueñas ejusdem Societatis salutem deprecatur sempiternam.